



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Coloniensi Archiepiscopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

Tibi etiam Domino meo Innocentio Papæ & successoribus tuis omnem obedientiam & honorificentiam exhibebo quam devoti & catholici Imperatores consueverunt sedi apostolicæ exhibere. Stabo etiam ad consilium & arbitrium tuum de bonis consuetudinibus populo Romano servandis, & exhibendis & de negotio societatis Tusciæ ac Lombardiæ. Similiter etiam consilio tuo & mandato parebo de pace vel concordia facienda inter me & Philippum Regem Francorum. Et si propter negotium meum Romanam Ecclesiam oportuerit incurrere guerram, subveniam ei, sicut necessitas postulaverit, in expensis. Omnia verò prædicta tam juramento quam scripto firmabo cum imperij fuero coronam adeptus. Actum Nuxiæ in Coloniensi dioecesi anno incarnati verbi M C C I. V I. Idus Iunij, in præsentia Philippi Notarij, Aggidij Acolythi, & Riccardi scriptoris præfati Domini Papæ.

*COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.*

Epist. 78.  
Vide supra  
epist. 75 & 76.  
& infra epist.  
83.

**C**ontumaciam Iohannis Archiepiscopi Trevirensis esse tibi credimus per ejus opera manifestam, qui propè positus jugiter intueris quòd idem Iohannes iudicium Dei & Ecclesiæ non formidans, in contemptum apostolicæ sedis statuta nostra rebellionem damnabili nimitur impedire. Expectabamus enim hæcenus expectantes ut rediret ad cor & secum pariter cogitaret quam graviter in transgressione juramenti, quod nobis corporaliter præstitit, & oculos divinæ majestatis offenderit, & læserit famam suam; sed, ut manifestè videmus & rerum experimenta declarant, non solum excommunicationis sententiam, qua tenetur, contumaciter vilipendit, sed inebriatus calice iræ Dei, quod dolentes dicimus, se in laqueum desperationis mittens, cum burgensibus civitatis & quibusdam Clericorum & ministerialium Trevirensis Ecclesiæ in nostram injuriam conjuravit, prævaricationem prævaricationi nequiter addens, ut sit peccans peccatum ipsius, & existens in sordibus sordescat adhuc, donec de medio fiat juxta suorum exigentiam meritorum. Quia igitur in derogatione nostra tibi non est dubium derogari, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus ad spiritualia Trevirensis Ecclesiæ, quæ in terra temporali tibi jurisdictione subjecta consistunt, tandiu nostra fretus auctoritate appellatione remota manus extendas, & de ipsis utiliter ordines & disponas, donec Trevireses nobis rebelles extiterint & ab Ecclesiæ gremio permanserint sequestrati; provisurus attentius ut in eos tamquam inimicos Ecclesiæ ac imperij, sedis apostolicæ matris tuæ, sicut devotus filius, injurias persequaris. Nos enim, nisi ad mandatum Ecclesiæ cum satisfactione debita revertantur, in eos manus nostras curabimus aggravare, & meritò [poterunt] formidare ne sub jugo quod decollo Trevirensis Ecclesiæ misericorditer aliquando sedis apostolicæ manus excussit, eam sicut ingrati reducamus in proximo, spoliantes eam metropolitica dignitate, ac restituentes eam Ecclesiæ cujus fuit. Datum Laterani xii. Kal. Decembris.

*VNIVERSIS PRINCIPIBUS  
Alamannie.*

**S**crutator renum & cordium Iesus Christus, cui nihil penitus est occultum, immo qui omnia novit antequam fiant, sicut nostri animi puritatem, & conscientia nobis est testis quòd super negotio imperij purè processimus, nec in aliquo vel imperiali magnificentiæ vel nostræ derogare voluimus dignitati. Novimus enim quòd imperium à Græcia in Germaniam per Romanam Ecclesiam pro sua fuerit defensione translatum; & ideo tantò amplius ad ejus exaltationem intendimus quanto in eo Ecclesiam credimus potius exaltari, cum sciamus quòd frequenter gladius spiritualis contemnitur si materiali gladio non juvatur. Novimus etiam quòd multarum hæresum pravitates contra fidem catholicam se extollunt, & vulpes quæ in foveis suis suas confueverant latebras confovere, in aperto jam vineam Domini Sabaoth demoliri nituntur, & non Philistinorum messes sed nostras caudis colligatis adinvicem devastare. Vnde tantò ardentius pacem affectamus imperij & optamus unitatem ipsius quanto per dissensionem vestram diutius hujusmodi vulpium captura differtur, & tantæ non tam injuriæ quam jacturæ ultio prolongatur. Verùm dolemus non modicum & movemur quòd litteræ nostræ, per quas vobis pleniùs nostræ mentis sinceritas patuisset, quorundam astutia supprimuntur, & quòd aliqui Ecclesiæ ac imperij concordiam odientes, scripta nostra sinistra interpretatione pervertunt; non attendentibus vobis quòd eorum est quod malè recitant, & non nostrum. Sanè ad vestram potuit audientiam saltem per famam publicam pervenisse qualiter post expectationem diutinam primò vos ad concordiam curaverimus invitare, qualiter secundò consilium nostrum fideliter vobis duxerimus exponendum, & studuerimus vos super his diligenter instruere quæ negotio congruere debebantur. Ceterùm cum nec per communitonem nec consilium aut instructionem in aliquo nos proficere vidissemus, nolentes ulterius sustinere jacturam Ecclesiæ, cum duobus simul non possemus favere ad imperium pariter obtinendum, & alter de electis vestris propter excommunicationem publicam & persecutionem vulgatam quam progenitores ejus & ipse in apostolicam sedem & Ecclesias non dubitarent exercere, propter insolentiam etiam quam exercuerunt in Principes & alios sibi subjectos, & ne libertas Principum in Imperatoris electione vilesceret si non per electionem sed successionem in filios transferri à patribus & in fratres à fratribus imperium videretur, & propter alias plurimas rationes non sit idoneus ut imperium debeat obrinere, in reliquum nos oportuit consentire, cum à quibusdam vestrum electus ubi debuit & à quo debuit fuerit coronatus, nec aliquid in personam obiceretur ipsius per quod esset meritò reprobanda. Quia verò nec adhuc pax est imperio restituta, immo nunc etiam ex dissensione vestra læduntur pauperes & Ecclesiæ confunduntur, volentes his malis quantum honestè possumus obviare,

Epist. 79.